



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Capitvlo Sanctæ Sophiæ, ac universis Prælatiſ conventualium Ecclesiarum
Constantinopolitanarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus ipsi juxta formam Ecclesiæ beneficium absolutionis impendas, & injungas eidem ut mandatis venerabilis fratris nostri Ebredunensis Archiepiscopi ac dictorum Vticensis & Regensis Episcoporum, quibus super hoc dirigimus scripta nostra, humiliter pareat quæ super prædictis ei duxerint facienda. Datum ut in alia per totum.

*CAPITVLO SANCTÆ SOPHIÆ,
ac universis Prælatiſ conventualium Eccleſiarum Constantinopolitanarum.*

Ep. 97.
De electione
Patriarchæ C
Constantinopolitani.

Per litteras vestras, filij Prælati, nostro nuper apostolatu referastis quod bonæ memoriæ Thoma Patriarcha Constantinopolitano apud Thessalonicam extrema ægritudine laborante, vos, ne circa Patriarchæ substituendi electionem vobis præjudicium fieret metuentes, in Ecclesia sanctæ Sophiæ, Decano & Canonicis ejusdem præsentibus, nostræ constitutionis authenticum, quod super forma electionis in Constantinopolitana Ecclesia celebrandæ à nobis dudum obtentum fuerat, perlegistis, sed cum propter quorundam Canonicorum absentiam certum recipere nequiveritis tunc responsum, auctoritate studuistis apostolica prohibere ne super electione in vestrum præjudicium sive contra mandati nostri tenorem aliquid fieret; ad sedem apostolicam appellantes, cumque die tertia pro recipiendo responso, prout conductum fuerat, venissetis, multitudinem Venetorum in eandem Ecclesia invenistis tam in stallis quam circa altare irreverenter armatam, & eis qui electioni se Venetorum opponerent, membrorum truncationem ac mortem non absque multis clamoribus intentantem. Vobis autem expectantibus deforis, quædam Venetorum Canonicorum pars profiliens subito de conclavi, ubi fuerant obserati, nonnullis ex Canonicis aliis recedentibus à consilio eorundem, Decanum ejusdem Ecclesiæ nominavit. Quod vos extrinsecus positi sentientes, electioni hujusmodi studuistis contradicere juxta posse, in crastino appellationem prius ad nos interpositam coram Constantinopolitani cleri multitudine innovando. Postmodum verò tres personas, videlicet venerabilem fratrem nostrum Cremonensem Episcopum & dilectos filios Petrum tituli sancti Marcelli Presbyterum Cardinalem & magistrum Robertum de Corzon Canonicum Parisiensem, unanimiter nominantes, eisdem

à sede apostolica postulastis ut earum aliqua juxta nostræ voluntatis arbitrium præficeretur Ecclesiæ memorata. Cum autem nuper utriusque partis procuratoribus propter hoc ad sedem apostolicam constitutis super electione ac postulationibus memoratis inquisissemus plenius veritatem, licet ex parte vestra, filij Capitulum, propositum fuerit quod prius quam statutum apostolicum vobis ostensum aut aliqua prohibitio facta fuerit, tractatus habitus fuerat super prædicti electione Decani, quæ nondum extiterat publicata, quia nobis constitit evidenter electionem ipsam à vobis, filij Capitulum, post statutum apostolicum vobis ostensum & appellationem ad nos legitime interpositam, quibusdam exclusis atque contemptis qui volebant & debebant pariter interesse, minus canonicè celebratam, ut de ceteris quæ tam contra electionis processum quam contra personam electi fuere proposita taceatur, & ad postulationes præfatas à vobis, filij Prælati, inconsultè processum, tam illam quam istas de fratrum nostrorum consilio duximus reprobandas, devotioni vestræ per apostolica scripta districtè præcipiendo mandantes quatinus omni vitio similitatis expulso, tam loco quam voto convenientes in unum, & sancti Spiritus gratia invocata, talem vobis personam eligatis canonicè in pastorem quæ scientia, vita, & fama præpollens, tanto congruat oneri & honori, ut vestris parcatis laboribus & expensis, & apostolicum vobis favorem ex hoc valeatis plenius comparare; pro certo scientes quia si vel persona non esset idonea vel forma canonica, nos defectum vestrum auctoritate apostolica suppleremus. Datum Laterani Non. Augusti, anno quatuordecimo.

*EPISCOPO ZARATONIENSI,
& Decano Thebano, & Cantori
Davalienſi.*

Dilecti filij Decanus & Capitulum Neopatreſis Ecclesiæ nobis denuntiando monstrarunt quod venerabilis frater noster . . . eorum Archiepiscopus antequam ad dignitatis apicem ascendisset, licet esset in sacerdotali officio constitutus, comam tamen nutriens, contra Latinos in Græcorum auxilium cum Arguro quondam Corinthi Domino tanquam laicus pariter arma sumpsit, & circa eundem in Militis officio per annum & amplius serviens, nonnullos Latinos dicitur occidisse, Verum cum postmodum per electionem quo-

Ep. 98.
Delegat inquisitionem contra Episcopum Neopatreſem.